PHILIPPI DE ROMANIS

AD MACRINUM

EPISTOLA PRIMA.

Lugebant viduam lacrimata ob funera Sedem
Romulidæ: posito squallebant murice Patres.
Quumque novem post fata dies abiere dolentes,
Illi consilium, et suffragia certa daturi
Mente iniere gravi secreta negotia soli:
Nec placanda prius, nisi Templi Hærede vocato;
Alta quirinalis servabat limina custos.
Exhinc mane preces diffundere, et ordine longo
Post sua signa pios fratres, Macrine, videres,
Et quibus officium est nostrarum cura animarum,
Scandere munitum clivum, et responsa morari.
Parte alia lentum modulati carmen adibant
Fana, parem ad talos induti a vertice saccum,
Qui e Superis aliquem simili pietate colendo
Lege quidem simili se se dixere sodales.
„ O Patris et Nati simplex ac mutuus ardor,
„ Virtutumque parens, triplici radiante favilla,
„ Axe veni, atque Tui cupientûm pectora comple.
„ Quod sine Te nequeunt cælestia munera labi,
„ Quorum ope bisseni mundum docuere Magistri;
„ Nec sine Te, vicibus qui perfunguntur iisdem,
„ Pontifices dare vela mari, nec litora possunt,
„ Conditione hominum stricti, tot tantaque obire.
„ Ergo opus omne tuum fuerit qui rite Sacerdos
„ Maximus extiterit: quare, o Spirabile Numen,
„ Volvimur ante tuas aras; tibi thura litamus „.
Sic delubra canunt, sic personat undique Roma.

Quid tamen a prece, et officio, quo quisque laborat,
Egimus interea, si forsan scire requiris,
Expediam. Vulgi nota prurigine iambos
Colligere, et laudare sales: vexilla Quiritùm
Suspicere, a loculis ceu quondam ancilia, raro
Nec leviter prodenda Urbi: de tempore prisco
Dicentes audire senes: invisere pompas
Regales legatorum: conclave tueri:
Ire, redire jugum: protectaque prandia longis
Fustibus indigitare Patrum, ritumque ferendi:
Sublimem scitari operam: scrutarier aulam
Arcanam: et Dominum e numero sperare clientum:
Hoc facinus fuit omne ingens! Macrine, quid intus?
Nil, nisi ab obstructa frustra pendere fenestra:
Nil, nisi vana loqui datur, et confidere fumo!
Una leves sontes tamen est fortuna seqûta.
Vidi egomet Lapum, rixando qui mala Rullo
Propter agonales statuas convicia nuper
Dixerat, et virgâ jam jam impendente piabat,
Uxorem amplecti et natos a carcere binos,
Hinc remeare forum, cucumisque in clade rubenti
Radere semisses puero, et cantare triumphum.
Purpureis etenim delectis quinque maniplis,
Qui de romuleis, Capitolî ex arce strategus
Ad minus obstrictos cancellos agmina læta
Jussit abire domos, populi mandante Senatû.
Ast animum nobis ratioque, modusque levandi
Defuit. Invito clamosa theatra silebant
Conductore, preces qui duplat amore metalli,
Quadruplicatque, moras dum jurgat et otia mimus.

Cæsaris Augusti cineres habuere quietem ;
Quod neque jam tauros mugire, latrare molossos
Audierant, hærensque viris trepidare periclum .
Nec jam nocturnis versatilis ignis in horis
Emicat e trabibus, centum variatque figuras.
Exagitare pilas vetitum, et curru æquora Circi
Findere. Subsidunt, spectacula dulcia, pupi.
Bis clausum nemus Arcadiæ : bis clausa Latinis
Limina vulgares nimium sitientia plausus.
Plectra philarmonici de pariete suspendebant.
Conticuitque gravis tiberino in litore Clio,
Pastori laudes forsan meditata futuro.
Hanc quoque et ærumnis addas : muliercula pallet,
Assiduisque terens digitis tornatile buxum
Increpitat sermone sophos (corda aspera !) balbo.
„ Bubo, ait, ah mortis qui, et dæmonis ales, et ultra est,
„ Bellua si pejor cacodæmone, rupit in aulam !
„ Augurium infelix ! Superi vos, quotquot olympum
„ Incolitis, volucrem, et nigros avertite casus ! „
Irrident vetulas, et quos hæc somnia ludunt.
Sed tenuis, Macrine, decet jam littera surgat.
Nam desideriis, quamvis ingentibus, ingens
Adstitit a cælo pietas mage, præpete penna.
Scilicet, ut Phœbus tetigit de Virgine Libram ;
(Illud enim Astreæ signum, atque hoc Lancibus addunt,
Nec sine divino vertuntur sydera nutu ;
Dumque Pium superis adscibat, Lance benigna
Alterum in occursu pollentem Astrea parabat) :
Adfuerit veluti præsenti numine Divus,
Panduntur portæ, procumbunt septa Palati,

Et pulsata sacris clangunt e turribus æra :
Quin Moles adriana tonat, superusque Michäel
Luce micat, zephiro procul impellente vapores.
Ac veluti contracta prius viridaria, postquam
Vere novo exuerint glaciem, genus omne rosarum,
Et quidquid florum est gemmantûm, quidquid olentûm
Læta sinu tenero pandunt; ager undique ridet,
Et vario volucres cantu nova sæcla salutant;
Ancipiti curâ sic Roma soluta, metûque
ANNIBALEM dum nacta Patrem „ Macte, ANNIBAL, inquit,
„ANNIBAL, o victum nomen, tamen usque timendum! „
Ast ubi, nominibus patriis illum omine sancto
Deletis, patuit LEO jam voluisse vocari;
Inter Pontificum memorantes facta LEONUM;
Qualiter ausoniis ex arvis Attila nempe
Cesserat, imperium fundarat qualiter Alter,
Alter sæcla dedit studiis florere renatis,
Unus erat clamor „ Vivat LEO, Vivat: en ardent
„ Fulvi oculi: sub sole nitet decus ecce jubarum! „
Perque vias alii, timuit quæ Gallia victrix,
Quæ Batavus stupuit, quæque optavere Britanni,
Multa recordari gaudent: aliique tenacem
Propositi: atque alii morum Fideique celebrant
Magnum assertorem! „ Non tantum hic sospite, dicunt,
„ Per mare monstriferum cymba potis ire: sed acre
„ Ingenium quod habet, nativum mentis acumen,
„ Corda cupidinibus flammata salubribus, artem
„ Flexanimem eloquii, prudentem calliditatem,
„ Addictumque labori animum, frugique tenores,
„ Atque alia, atque alia in communia commoda fundet. „

Altera, amice, quibus recreamur, pagina scribet.
Non tamen hæc sileam penitus: jamque accipe pauca.
Pauperiem primo complexus quottidiano
Ipse sub æde sua vino dapibusque refecit.
Innumeros inopes, quos publica nutrit abunde
Res, miseras Thermas tutatum inopinus adivit.
Impiger ad ripam volitans tria visit in unum
Hospitia, in meliusque simul producere curat.
Adstitit ægrotis, ac lenta cibaria solers
Libavit: pueris non defuit, atque lycæis.
Imminuit populo jam vectigalia multa:
Noluit æquipares census velut ante gravari.
Non sal, quod natura fuit largita fodinis,
Amplius a Fisco redimunt Picenus et Umber.
Et venatores memori de Principe munus
Accipiunt. Rhedam facili mercede locabis
Vel plaustrum, leviora premunt quia jura caballos.
Non stipe prolata grex pabula mutat: et aurum
Mercati celebrant nostri confinia porci.
Sed meliore bono fruimur: Non cogimur ultro
Excubias nocturni agere, et non amplius arma,
Vanum humeris pondus, componere, et omnia ferre
Militiarum, ulla sine laude, incommoda dura.
Hæc satis, ut discas quali sub sydere vitam
Vivimus, et quali conceptum est omine regnum:
Namque aquilam a primo cognoscere sæpe volatu
Possumus, ac tenera generosum ex ungue leonem.

Pridie Nonas Decemb.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rev. P. Mag. Sac. P. A. Mag.

Joseph della Porta Vicesg.

Nihil obstat.

D. Paulus Pancaldi Abb. Cistérciensis.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Præd. Rev.
Sacri Palat. Apost. Mag. Soc.